desiderio mali cuiuscumque malum faciendo
letatur et bonum quodcumque faciendum tristatur. 2º
si non solum in bono tristatur et malo letatur
sed et alios deridendo ab omnibus retrahit verbo
gestu et exemplo. 3º si desperando vel de mi-
sericordia dei nimis presumendo ocio stulti-
cie vel impudicicie se tradidit per ocium
a bona cogitacione locucione operacione cessando
concupiscencie carnis et oculorum et superbie
vite insistendo. malo per negligenciam non
resistendo. spectacula vana videndo in
gestibus corporis lasciviendo. inepte et ni-
mis ridendo. alios ad risum movendo. fa-
bulosa et vana loquendo. gravis ad bona
levis ad mala. graciam dei repellendo. et
si recepit expellendo. pmas md i iuctas
indevote perficiendo. vel imperfectas relin-
quendo. vel totaliter obmittendo. Tu dices
libenter scirem quando accidia sit mortale
Dico tibi accidia secundum augustinum est tedium
interni boni. Tedium in illud quod redundat
in obmissione eorum que sunt ad salutem
necessaria et tunc est mortale. Quandoque est tedium id est
ex obmissione boni et difficultate aggre-
diendi bonum ducit in desperacionem et tunc
accedit peccatum in spiritum sanctum. Quandoque est tedium
illud ita crescit quod eum ducit in tedium vite
intantum quod vincit manus seipsum interficiendo
tercia similis exit inde qui laqueo se su-
spendit et illud est mortalissimum. De avar-
icia et aliis declara sicut scis

Omnipotens deus pater et filius et spiritus sanctus
unus atque trinus unus videlicet in natura
trinus in personis. Solus invisibi-
lis. solus immensus atque incompre-
hensibilis. solus incircumscriptus. incorporeus
ac immortalis. ubique presens. ubique latens.
ubique totus sed immensus invisibilis est quia
in essencia sua videri non potest. Apostolus enim
dicit. Quem nullus hominum vidit. Et iohannes
primo Deum nemo vidit umquam. Incorporeus
dicitur quia nullis membrorum lineamentis compositus
consistit sicut xpc mero iohannis dicit Spiritus
est deus et eos qui adorant eum in spiritu et
veritate oportet adorare. Immensus
est quia qualitas vel quantitas eius a nullo
metiri potest. Cui salomon in sua oracione
dicit iii Regum viii Si celum et celi celorum
te non capiunt quanto magis domus hec
quam edificavi. Incircumscriptus est quia circum-
scribi non potest. Illocalis quia de loco ad locum
non transit. neque quolibet loco retinetur.
ipso de se per ysayam 66 testimonium perhi-
bente. Celum sedes mea. terra autem
scabellum pedum meorum. Et 23 Numquid
non ego celum et terram replebo dicit deus.
cuius immensitatem propheta confitens dicit
ps 138 Si ascendero in celum tu illic
es. si descendero ad infernum ades. De
cuius immensitate in libro iob capitulo
decimo dicitur. Excelsior celo est quid fa-
cies. profundior inferno unde cogno-
sces. longior est terra mensura eius
latior mari. Qui enim celum implet
et terram. procul dubio nullus locus est
absens ab eius presencia. Super omnia quippe
est ea regendo atque imperando. Subtus
est omnia sustinendo atque portando non
pondere laboris sed infatigabili virtute
sua. Immutabilis est quia ab eo quod est
omnino mutari non potest. Ipso dicente per ma-
lachiam iii Ego dominus et non mutor. Et
numeri 23 Non est deus ut homo ut menciatur
vel ut filius hominis ut mutetur. Ideo immu-
tabilis dicitur quia in natura eius furor pma
oblivio recordacio et huius similia non
accedunt. Simplex enim natura est et
imperturbata et immutabilis. neque
aliud est ipse et aliud quod habet. sed
ipsum esse est quod habet et quod est. Immor-
talis est quia mori non potest. Apostolus i Ad thimo-
theos vi. Qui solus per immortalitatem
habitat vel habet lucem inaccessibilem quam
vidit nullus. Ubicumque autem sacra scriptura
per divinos libros in deo motus anime seu

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 172r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/fr/vad/0070/172r)